



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ivdex Magistratvs Senator**

**Zype, Franciscus van der**

**Antverpiæ, 1633**

Cap. XXIV. Per gradus promotus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14280**

Secura. Quām gloria vltima vox Vespasiani, decere Imperato-  
rem stantem morti?

## C A P V T . X X I V .

## Per gradus promotus.

**P**er gradus ad ordines & honores eundum est, non per saltum. Recte Gregorius, cap. 2. d. 78. Ordinatē ergo ad ordines accedendum est, nam casum appetit qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per praeupta querit ascensum. Scimus autem quod adificati parietes non prius lignorum pondus accipient, nisi à nouitate sue humore siccantur, ne si antē pondera, quām solidentur, accipient, cunctam simul fabricam ad terram deponant. Nam optimē Cyprian. cap. 1. d. 78. Momentaneus Sacerdos nescit habere humilitatem, obseruare modos personarum, vel se contemnere: non ieunauit, non fleuit, non correxit, non pauperibus erogauit. In arrogantiam (quae est ruina diaboli) incident, qui puncto horū necdum discipuli sunt magistri. & sicut Innocentius ait, miserum est eum fieri magistrum, qui necdum didicit esse discipulus c. cum in magist. x. de elect. & Iustin. Nouell. 137. Quis instar figuli uno ipso die fictilia sua tornantis, ut arpentē singat veri cultus antistitem, cum angelis stantem, & cum Archangelis laudes canentem, & Christo sacrificantem? & per hæc quidē indicat qualeśna oporteat ad sacerdotium promoueri. De his autem qui ordinantur indigni idem hæc dicit in eadem oratione: Qui cum nihil, inquit, ad sacrum Dei altare & sacerdotium attulerint, nec in virtute & pulchro prius insudarint, & elaborarint, simul discipuli & praecatores pietatis ostenduntur, & priusquam purgati sunt, purgant, heri sacrilegi, hodie sacerdotes: heri extra sacra, hodie praesules mysteriorum: veteratores malitia, nouitȳ pietate, qui sunt opus, atque fabrica humana gratia, non Spiritus sancti. Ideoq̄ electionem alicuius in Abbatem mox à professione factam, Innoc. III. irritam pronuntiauit cap. officij. 38. x. de elect. Promouēdos in iure discimus, qui minoris cognitionis officia gesserunt, ac prius minoribus, deinde majoribus cingulis bene vni sunt. Legimus apud Liu. lib. 32. Tribunos plebis se interposuisse, ne T. Quintius Flaminius ex Quæstura ad Consulatum pertingeret. Iam, inquietabant, adilitatem prætoramque fastidiri, nec per honorum gradus documentum sui dantes, nobiles homines tendere ad consulatum, sed transcendendo media, summa imis continuare. In militaribus etiam officiis per gradus ad honores iri solet. vnde Martē Gradiuum

1.  
incom-  
moda sal-  
tuum illo-  
rumq;  
causa gra-  
duumq;  
commoda.

Festus

Festus dictum cūpit. Rufus, diu manipularis, dein centurio, mox castris praefectus. Tac. l. 2.

Principatum, inquit l. 1. l. de offic. mag. offi. adipiscatur matricula decurrente, ita ut ad curas agendas & cursum illi exeant quos ordo militie vocat. & l. 2. quos labor prolixior fecerit anteire. & l. 12. de primicer. Illud praecipue promissionem nouam flagitare perlegimus, ne per ambitionem, vel gratiam, aut cuiuslibet occasionis obtentu, vel laborum seu solitudinum specie, publicorum aliquando liceat cuipiam graduum seriem conturbare, & temporum ratione calcatā dudum militantibus anteferrī, & que longis prolixisque stipendiis defensa iam pollicetur senectus, gratiōsā festinatione surripere. Ita nemo ad patriciatum promouebatur, nisi cōsulatu, praefecti prætoris, magistri militum, aut magistri officiorum administratione functus. Actu, inquam, functus: nam honorariis tantum codicillis decorati centū libras auri in publica opera pendebant. l. nemini. C. de consulibus l. 12. In Dacia nō nisi qui aurarias procurassent, ad dignitates admittebantur, l. 4. C. de metallar. Sed & rem bene gesisse in minori officio ostendere oportet eum, qui altiorem magistratū aditus est, ut Zeno decreuit in l. 1. C. vt om. Iud. adeoque magistratum gestorum liberationes ostendere. Latè Bozel. de magist. lib. 1. cap. 16.

### CAP V T. XXV.

#### Secretus.

1.  
Iudex se-  
cretus fit,  
illiusq;  
ministrari.

**A**Rctissimum secretorū custodem esse Iudicē oportet. Monet Sapiens Eccl. 28. Attende ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum infidantium tibi, & sit causus tuus insanabilis in mortem. & iterum Prou. 20. Ei qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis; sed causam tuam cum amico tracta, & secretum extraneo ne reueles. Prou. 25. Iubet Auth. de Iudic. & vt nullat. cap. 7. vt neque ab eis aliquid peccetur, neque prodatur. Quare & Iudex cauere debet, ne eorum operā vtatur, quorū linguæ fidelitatem probè notam non habeat. nam, vt ad Q. fratrem Cig. quos aut ex domesticis coniectoribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voleisti; horum non modò facta, sed etiam dicta omnia præstanda sunt. Non ille Rex filio in regnum quamuis successuro, sciscitanti quā horā postridie exercitus proficeretur, responsum dedit: sed interrogauit, an vereretur ne solus ille sonitum tubæ non exaudiret?